





Vol. I m. n. 115. C.

AF

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

GOTTLIEB WERNSDORFIUS

PHIL. ET I. V. DOCTOR INSTITUTIONVM PROF. PVBL. ORDIN. CV-  
RAE PROV. SCABINATVS ET FACULT. IVRID. ASSESSOR

ORATIONE M

GOTTLOB FRIDERICO ARTZT

LISNICENSI MILN.

THEOL. CVLT.

BENEFICI WOLFRAMSDORFIANI LEGE

FVTVRIO IOVIS DIE

HABENDAM

CIVIBVS ACADEMICIS

SIGNIFICA.

115

DE GRAECA DICTIONE POESEOS HO-  
RATII LYRICAЕ ORNATRICE.

COMMENTATIO I.

**G**omparanti cuique varios gentium tum veterum, tum re-  
centiorum poetas, mentemque suam ad id vel maxi-  
me aduertenti, quantum iis in oratione sua, ad aliarum lin-  
guarum normam conformanda, si si sumere licuerit, id facile  
in aprico ponetur, nullis prope modum tantum libertatis fuisse  
concessum, quantum gentis togatae vatisbus in Graecae linguae  
dictione imitanda, atque in rem suam, vel saepius ad verbum,  
transferenda, ita, ut hoc arbitrium nullis fere, aut saltem am-  
plissimis finibus videatur circumscriptum, et pauca modo sint  
Graecae linguae genio propria, quae a poetis Latinis non ex-  
pressa deprehendas. Huius igitur tantae veniae, ab his haud  
cunctanter peti ae, atque a ciuibus tam facile datae, nec ab  
ullo, nisi iudice aut ir' quo, aut male informato, reprehensae  
complures sane afferri cum possint caussae: nos commenta-  
tionibus aliquot exposituri, quibus rationibus vel ad palcri-

audi-

tudinem carminis Latini, sigillatim Lyrici, conferant, haud alienum censemus, antequam ad ipsum hoc argumentum accedamus, has strictim repetere. Neque vero putas, nos eo consilio doctoribus nebulas dispulsum ituros, sed id modo spectamus, ut studia regantur iuuenum, quo melius dilucidiusque, singulis his in lance quasi satura appositis, appareat, quare Romanorum cultiorum auribus, aliis in rebus tam superbis, poetae, peregrinis in solum suum quasi translatis, tam parum displicerint, ut potius, quae vel audacius insolentiusque ab iis dicta sint, nihilo minus delectarent, vel pulcritudinis induerent speciem, ac multo magis Romanorum, quam nostrarum caperent animos, aut Graecae linguae saepius prorsus ignaros, aut in legendo parum genii eius memores, nec oculos attentionemque ad eum coniicientes.

Iam primum vel pueris notum est, Romanorum sermonem maxima ex parte a Graeco esse conuersum, quod ingenui cum aliis multis proficitur Quintil. (Instit. orat. I. c. 5.) Per ipsas igitur origines Romanorum linguae perpetuum quoddam arctissimumque cum Graeca, tanquam inter matrem et filiam, necessitatis quasi ac familiaritatis copulatum erat viuendum, ita ut similitudo cum ea ne villa quidem aetate obliteraretur, imo in multis augeretur ac vel renouaretur. Tam grata quoque beneficia Graecae matris, almaeque nutricis, Roma coluit, ut, si pauca excipias alia vocabula peregrina, quae necessitate recipere, aut vulgi yisu semel inducta ferre cogeretur, praeter hanc nulli tantum tribueret linguae,

ut aliquid inde petitum, copias suas auctum, dictionemque suam ad eam compositum iret. Tam delicati etiam non pauci erant, ut ipsos eos valde carperent, qui peregrinitatem quandam in oratione, ex ipsa aliqua gente Italiae derivandam, prae se ferrent. Sic Vectium Lucilius reprehendit, sermone vtentem Praenestino, quemadmodum Liuui Patavinitatem Pollio, ut auctor est Quintil. (L. I. c. 5.) licet hic ipse omnia Italica pro Latinis habenda censeat. Hic ergo naturalis quidam linguae Graecae amor iam antiquissimis temporibus non solum effecit studium, omnia fere ad Graecorum cultum componendi; sed arte quoque sapientique educatione puerorum magis accendebat, ea in primis aetate, qua litterae Graecae, earumque magistri Romae stabilem sedem fixerunt, aestimatioque iis a principibus tribui coepit, bene intelligentibus, quantum elegantiae cultu cederent matre. A nemine igitur melius pueros disciplinae idoneos ad humanitatem fingi posse putarunt, nisi a magistris Graecis, aut linguae saltem horum peritis. Quorum doctorum antiquissimos, Liuium et Ennium, qui iidem et poetae et oratores semigraeci erant, nihil amplius, quam graeca interpretatos esse, Suetonius tradidit, de Illustr. Grammaticis praefatus. Omnis quoque postea disciplina illorum spectabat eo, ut lectione scriptorum Graecorum omnis generis, atque tenerae aetati conuenientium, maxime poetarum, elegantiae sensu pueri tingerentur maturius. Horum omnium tamen nullius tantam fuisse auctoritatem, quantam Homeris,

8 pro-

si probare hic vellemus, non parum nauseae crearetur lecto-  
ribus, cum vel ab eius lectione puerorum institutio plerum-  
que inciperet. Quod vero ad intelligendas eius virtutes,  
gratiasque recte colendas, firmiori opus esse censebant iudi-  
cio, doctoribus ducibus, repetitis vicibus legebatur, quo  
maturius carminum eius sublimitate animi assurerent, spiri-  
tumque ducerent, ut praecipit Quintil. (L. I. c. 8.) Exer-  
citionum quoque puerorum haec omnium maxime arri-  
fit, quae vertendis Graecorum scriptis occupabatur, ut et  
iam Sueton. (L. cit. c. l.) dicit; eamque consuetudinem utilissi-  
mam crebro iudicat Quintilianus. Latine vero doceri sero  
demum, atque aetate modo Ciceronis coeptum videtur, in  
scholis saltem rhetorum, quod hic in epistola ad Titinium  
memoriae prodidit, seruato a Suetonio illius loco, de il-  
lustr. rhetor. (c. 2.) quo ipse: *memoria, inquit, teneo, pue-  
ris nobis primum Latine docere coepisse Lucium Plotium*  
*quendam: ad quem cum fieret concursus, quod studiofissi-  
mus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem  
non licere.* Continebar autem doctissimorum hominum au-  
toritate: qui existimabant, Graecis exercitationibus ali-  
melius ingenia posse.

Qui vero et aetate et scientia, Romae collecta, sibi  
suisque maturi videbantur, ac futuro tempore, eruditi saltem  
videri, aut doctrina vera commendabiles esse volebant, accu-  
ratorique philosophiae, historiae atque eloquentiae scientia,  
qua in rerum forensium, ciuiliumque administratione carere

prorsus non poterant, animum instruendi erant cupidi, varias Graeciae vrbes, vt Apolloniam, Rhodum, Mitylenen, frequentissime vero Athenas petebant, vbi largissimi ac limpidissimi scatebant humanitatis, doctrinae, iurium legumque fontes, vt firmioribus animi ingenique pabulis variis ipsa in terra, vbi tanta horum erat vbertas, diutius sustentati firmarentur. Fieri igitur vix potuit, vt hunc amorem, tam alte pectori a teneris infixum, Romam reduces deponerent, perpetua etiam ibi oblata occasione, nisi crebra necessitate imposta, per otium saltem et requiem, solius delectationis causa, Graecam linguam colendi.

Per omnem enim aetatem ac vitae genus sere quodlibet eruditii eius copias in subsidium vocarunt, siue negotia forensia aut publica agerent, siue scriptis quibusque sui nominis immortaliter peterent, bibliothecis adiuti, Graeca rupellectili instructissimis. Quo consilio nunquam remissi erant in iis legendis, seruorum Graecorum, quorum magna erat Romae multitudo, litterarum non rudis, adhibita opera, qui anagnostarum fungerentur partibus, idque in seriis dominorum cum Musis occupationibus pariter, ac inter epulas, aut sumto cibo in lecto recubantium. Innumerabiles fuerunt alii, quos postea militia aut prouinciarum administratio, aut priuata commoda in Graeciam deuocarent ipsam, vel vrbes alias, quibus Graeca lingua florebat, ita, vt et hoc modo consuetudo cum ea seruaretur perpetuo, ac saepe viri aetate prouectiores, artea rudes, tum demum eam discerent ab exteris. Multi quoque proce-

rum Romanorum, Ciceronis praesertim ac sequentibus temporibus, studiorum, consuetudinis aut delectationis modo causa in familia et comitatū suo vel in provinciis, Graecos habuerunt philosophos, rhetores, grammaticos, poetas, immo medicos. De Lucullo Archiam fouente Cicero prodidit, in oratione pro eodem poeta; (c. 3.) de Clodio, Graeciſ ſtipato, idem pro Milone; (c. 10.) de Caefare autem Sueton. in Iulio. (c. 48.) Quid multa? Temporibus iis, quibus literarum studia Romae floruerunt maxime, eam omnes cum hac lingua familiaritatem contrahere studuerunt, ut Graece ſcire non tantae laudi verteretur, quantae turpitudini, nescire; Marii apud Sallustium (Bell. Iugurth. c. 85.) indigna cendifa effet vox: *litteras Graecas non didici*; Marcus vero Cato his quoque rationib[us] motus putaretur ad ea, quae iuuenis neglexerat, in ſenectute diſcenda. (Cic. Acad. Quaest. IV, 2.) Cum igitur Romani, tantum non omnes, inflammati ſtudio ad Graecorum linguam ferrentur, lectio ſcriptorum nunquam intermitteretur, atque exempla eorum egregia quaelibet in omni doctrinae atque eruditionis genere ad imitandum ſibi ſemper proponerent auctores Romani, multaque in rem ſuam inde tranferrent: fieri etiam non potuit, quin magna ſimilitudo ſtili eorum cum Graecis iis inde naſceretur, quorum orationem potiſſimum erant ſecuti. Hanc etiam facile deprehendimus in multis, vt vel ipſius Ciceronis in scriptis, quibus Demosthenem ſaepius imitatus eſt, ſicut Thucydidem Sallustium, Liuius Polybiu[m]. Multa igitur iam auctorum pro-

ſaico.

saicorum studiis sensim translata atque introducta esse, ex his intelligi potest, quae, etiamsi non statim ciuitate ab omnibus donarentur: tamen serebantur, atque auribus saltem nullum cre- runt taedium. Hinc etiam quae in poetis suis ad Graecorum dictionem atque exempla expressa legerent, non modo libenter, sed summa cum voluptate exceperunt, quae tanto sane maior haud dubie fuit, quo saepius Graeca olim lecta hoc modo simul reuocarentur in memoriam et carminis Latini gratiis multum ornamentorum hac libertate esset conciliatum. Quod quibus rationibus potuerit fieri, alia occasione, propediem tam ostendere conabimur. Memores enim iam sumus officii Commilitonum fauori ac frequentiae Virum tradendi Humanissimum, GOTTLOR FEDERICVM ARTZT, assiduitate studiorum, vitaeque bene actae laudibus insignem. Beneficio enim deinde V. W. amico, huius energetae immortalis memoriam recolet oratione: *de vi monumentorum sepul- oralium in mores animumque veterum Graecorum ac Ro- manorum.* Vos igitur, Ciues Politissimi, eadem, qua superiore anno ipsi fauistis, humanitate atque attentione Eius consilium subleuate, neque modo amicitiae Vestrae, qua doctrinae morumque humanitate dignus est, nouum exhibete testimonium. P. P. Dom. V. post Trin. c<sup>o</sup>ccclxxxix.

---

EXCVIT ALMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.



0176572

01 A 6572

ULB Halle  
003 053 512

3



VO18

11.2001 Pd.



### Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Vol. 1m. n. 115. (c)  
AF

RECTOR

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

# GOTTLIEB WERNSDORFIVS

PHIL. ET I. V. DOCTOR INSTITUTIONVM PROF. PVBL. ORDIN. CV-  
RAE PROV. SCABINATVS ET FACVLT. IVRID. ASSESSOR

## ORATIONEM

GOTTLÖB FRIDERICO ARTZT  
LISNICENSI MILN.

THEOL. CVLT.

BENEFICII WOLFRAMSDORFIANI LEGE  
FVTVRO IOVIS DIE

HABENDAM

CIVIBVS ACADEMICIS  
SIGNIFICAT.